



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Augsp. ^{Wustari}
- 2 Sadnel & unisformis nos disp. 1.
- 3 Axiomas brevis de sacro physico casu in diuinis M. Fied. 3. Aldrini
- 4 Disp. de Pro. Actu tum p[ro]p[ri]o tum officio. Hofmann.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes ^{de p[ro]p[ri]o & m[ul]ta}
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{de p[ro]p[ri]o & m[ul]ta} ex cap. 1. Cor. 10.
- 7 De nobilitate & voluntate ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedliche beschreibungen an d. Consistorium zu
Leipzig, vnter altsch. d. Sub Exorcismi
M. Georgij Lystarij.

Geß

Sammelband

30

70
DISPUTATIO XI.
DE IVSTIFICATIONE
HOMINIS PECCATORIS
coram Deo.

*Ex quarto ac vicesimo Confessionis Augu-
stanae, Articulis,*

ad cujus subjectas theses

Auxiliante Christo Servatore,

Sub praesidio

LEONHARTI HVTTERI S. Theolo-
giae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

CHRISTOPHORUS HOSERUS
Augustanus.

Ad diem II. Februarij, hora locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl^o Is XCVIII.



VIRIS
PIETATE, PRVDENTIA,
HUMANITATE, ALIISQVE
VIRTVTIBVS ORNATIS-
SIMIS,

Dn. LUDOVICO IENISCHIO,
Dn. DAVIDI GIENGERO,
Dn. MICHAELI MULLERO,
Dn. DAVIDI HOSERO,
Dn. DANIELI HOSERO,

*Civibus & mercatoribus Augustanis, Dominis cognatis et
tutoribus fidelissimis, Domino Sororio charissimo,
fratribus germanis dilectissimis, exercitium
hoc Theologicum debita gratitudinis et
observantia ergo offert
et dedicat,*

Christophorus Hoserus
Augustanus.

DE IUSTIFICATIONE HO-
minis peccatoris coram Deo.

THESIS I.



Venamodum medicinæ alicujus, quan-
tumvis excellentis, nullus esse potest usus, nisi de
eadem rectè applicanda æger edoctus fuerit: Ita be-
neficiorum Christi, nulla prorsus respectu nostri est
efficacia, nisi miseris nobis mortalibus, de vera ac salutari eorum-
dem applicatione, rectiùs constiterit.

II.

Quò conspiciens Confessio nostra, Naturæ secuta ordinem,
& salutis & justitiæ nostræ autore, Christo IESU, cujus consi-
derationem superiore proximo Articulo expedierat, ad ipsam
nunc nostri justificationem, quæ in applicatione meriti Christi
consistit, Methodo convenientissima transit.

III.

Hujus autem doctrinæ διέξοδος, duobus distinctis Articulis,
quarto & vicésimo, ea persequitur: hoc tamen observato discrimi-
ne, ut vicésimus, instar Commentarij alicujus, unâ eademq;
operâ, & Fidei, & Bonorum operum materiam, plenius ac fusi-
us pertractet.

IV.

Otiosæ ταυτολογίας, vel certè, turpis oscitantiae reos hoc *Harm.*
nomine peragit Protestantes, Ioannes à Daventria, scribens: *Andr.*
Eos, si non fuissent suiobliti, potuisse totum istum Articulum *Fabr. pag.*
vicésimum relinquere, quippe qui nihil aliud ineptiat, quam *311. a.*
quod Quartus hæreticè molitus fuerit inculcare.

V.

Verùm impudenter nugatur Monachus. Quin potius facti
causa fuit, ἀπολογία, ac justa simul & necessaria atrocissimorum
criminum depulsio, quibus nostræ tum notabantur Ecclesiæ:
quali illæ docerent: Omnem hominem etiam in quovis bono
opere peccare. DEVM bonis operibus offendi: bona opera esse
prohibita: & quæ sunt hujus farinae convitia sexcenta alia, quo-
rum catalogum bene longum texit Ioh. Hofmeisterus, apud
Andr. Fabricium: Harm. pag. 314.

VI.

Malo igitur huic remedium: & suspitioni ac offensionem Cæ-
saris

faris mitigatio quærenda fuit; id quod pleniore doctrinæ nostræ expositione, in vicesimo illo Articulo, satis commodè fuit præstitum.

VII.

Cæterùm utriusque Articuli Prototypus, libertatis & integritatis suæ privilegio haud diu usus, indignam profus ac servilem mutationem perpeti necessum habuit.

VIII.

Et tantò quidem intolerabilior est Articuli Quarti variatio, rectius depravatio; quantò sædiorem errorem, de Evangelio arguente peccata, manifestè, in crustat.

IX.

Sic vicesimi mutatio, etsi nihil ipsa in se erroris habet: ob nimiam tamen, ac intempestivam prolixitatem: ut & ob cavillationes, quarum ansam ea subministravit Adversarijs, meritò Prototypi puritati & candori cedere tenetur.

X.

Adulatores φιλιππιζοντες, causam variationis hujus instituendæ justam Autorem habuisse clamitant, ut nimirum hoc pacto primaria illa Controversia de justificatione hominis, accuratius explicaretur.

XI.

At verò frivolum hoc est, & vero minimè consentaneum: Quid enim? An non hoc ipsum jam antè in Apologia ad satiætem usque fuit præstitum: ut nova declaratione, & quidem tali, quæ errorum haud esset vacua, in ipsis Articulis Confessionis nostræ, decennio demùm post instituenda, minimè fuerit opus.

XII.

Missâ igitur adulterina editione, in Prototypi sinceritate meritò acquiescimus; quam falsis Pontificiorum dogmatis directè ac unicè fuisse oppositam, nobiscum ipsi quoque agnoscunt Pontificij.

XIII.

Vnde factum, ut Monachus à Daventria hunc solum Articulum, dissensionum, Schismatum, errorumq; mundo ansam dedisse, & Catholicæ doctrinæ adversari, & obstare scribat, quò minus inter dissidentes partes concordia cõalescat.

XIV.

Et Rabula ille Fabritius calumniari haud dubitet Articulum istum ex Schola Simonis Magi, & Valentini, contra Ecclesiæ Catholicæ consensum esse repetitum. Verùm

Harm.
Fabr.
36. 2.

XV.

Verum Scelus est in dica : Vanitas in probatione : Mentien-
di & cavillandi libido plusquam Diabolica, in utroque.

XVI.

Refert Irenæus, l. 1. cap. 20. Simonis Magi hanc fuisse hæ-
resin, ut docuerit, ne sectatores sui amplius curarent Prophetas,
sed spem suam in se & Selenen (scortum suum) conijcientes, li-
beri agant, quæ velint. Nam secundum suam gratiam (ô blas-
phemiam) salvari homines, & non secundum operas justas.

XVII.

De Valentinianorum verò hæresi testatur Epiph. l. 1. Tom 2.
hæresi 31. Eos tres constituisse hominum ordines : Spirituali-
um, Animalium, Carnalium: Et sinitisse, se suosq; asseclas, spiri-
tualium ordinem constituere, quippe qui ad consequendam sa-
lutem nullo labore amplius opus habeant, quàm sola cognitio-
ne, & arcanis suorum mysteriorum verbis : adeò ut quisque ip-
sorum intrepidè facere audeat, quodcumq; libuerit : Non posse e-
nim non salvari suum ordinem.

XVIII.

Monstret verò impudentissimus scurra,unicam literam,uni-
cum apicem, vel minimum etiam Iota in articulis Confessionis
nostræ, quæ monstrosis illis & ex blasphemiâ consutis hæresi-
bus vel in speciem duntaxat patrocinari videatur. Quod dum
præstare nequit, & nihilominus Ecclesias nostras teterrimarum
istarum hæresium insimulare haud dubitat : mendacissimus me-
ritò omnium haberi debet.

XIX.

Cæterum, ut ad ipsam Articulorum istorum ἀνάλυσις
propius accedamus, constat uterque perpetua ὁμοιογενεία, ac o-
missa ἀντιθέσει, in sola veræ sententiæ expositione, ejusq; de-
fensione acquiescit.

XX.

Gens Calvinistica partim subdolè hoc factum esse clamitat, Neostadi-
um nimirum confessores nostri palpum facerent Cæsari ac reli-
quis Catholicis Imperij Ordinibus : partim verò nimix & pro-
mentarij, sus indignæ timiditatis signum hoc esse, impudenter blaterat.

XXI.

Sed furit gens isthæc, dum nefariè officia carpit, quæ in le-
gitima etiam defensione à subditis præstari debent Magistratui.

In Controversia adhuc erat doctrina isthæc, ac nondum definita vel iudicata publicè. Protestantes igitur haud Iudicis partes sibi audaciùs arrogare: Sed in dicenda causa, modestia potius Confessoribus digna uti voluerunt.

XXII.

Quoad Timiditatem, quam nostris vesana isthæc turba objicit: Cæcutit profectò illa & surdescit penitus, si de fortissimorum Confessorum nostrorum constantia, nihil dñm cognovit: Vel si novit. projecti certè pudoris ac extremæ impietatis fuerit, præclarissima heroùm istorum facta, vel oblivione sepelire, vel criminibus confictis conspurcare velle.

XXIII.

Sed ad rem. Etsi sub consuetam quidem illam libri hujus Symbolici διχοτομίαν neuter Articulus venit: gemino tamé decursu ita procedit oratio: ut primùm κατ' ἄρσιν falsas ac erroneas justificationis nostræ causas removeat: Quæ pars ἀντιθέσεως vicem sustinet: Deinde verò κατὰ θέσιν, veram atque Orthodoxam nostrarum Ecclesiarum Confessionem exponat. Cujus Methodi filium nos quoque sequemur.

PARS I. ΑΦΑΙΡΕΤΙΚΗ, FALSAS
justificationis causas removens.

XXIV.

Ἀρσιν his verbis Quartus informat Articulus: *Docent Ecclesia nostræ, quòd homines non possint justificari coram DEO, proprijs viribus, meritis, & operibus.*

XXV.

Removet igitur ab ὑποτυπώσε ὑγιαίνοντων λόγων, tres falsas Justificationis causas, quas Doctores Pontificij propugnent: nēpe, 1. Efficientem: Vires humanas. 2. Formalem: Meritorum valorem. 3. Matèrialem, Bona opera.

XXVI.

1. Obstrepit Iohannes à Daventria; Ἀρσιν istam non Romanensium doctrinæ, sed Pelagianorum hæresi obeliscum figere 2. Pernegant reliqui Doctores Pontificij, hanc suarum Ecclesiarum doctrinam esse. 3. Afferunt alij, se non proprium, sed alienū con-
stituerè

fituere id, à quo, ex quo, in quo, nostra fiat justificatio: nempe Spiritum Sanctum: vel, ut Scholastici locuti, Gratiam DEI.

XXVII.

Verum objectionis hujus vanitas multis modis pater. I. Esto: Atque istam Pelagianis fuisse oppositam: Quid tum? Num igitur culpa vacabunt Pontificij? Nihil certe minus: Quis enim Controversiarum Theologicarum adeo est ignarus, qui non vel manibus palpet, plurima & quidem præcipua Pelagianæ hæreseos capita, Pontificios & jam olim sibi fecisse propria: & adhuc hodiè, pro ijs, tanquam aris & focis dimicare?

XXVIII.

Quid enim? An non Pelagianum est, quod Andradius, Hispanus, Ethnicis notitiam illam DEI, quam ex lege naturæ hauserunt, citra gratiam Christi, ad salutem satis fuisse, aperte scribit?

*Andradæ
Expl.
Orth. lib.
3. p. 288
C 292*

XXIX.

An non Pelagianum est, quod idem Andradius, Israëlitas posteros, ex lege Moïsi sine Christo salvatos contendit? Quem in modum *πελαγιστὴς* etiam Isenegrinus super Evangelium Septuagesimæ.

XXX.

An non Pelagianum est, quod Scholastici cum primis Doctores, de merito congrui disputarunt, promittentes primæ gratiæ meritum ex congruo, facienti Quod in se est?

XXXI.

An non Pelagianum est, Quod sine Spiritu Sancto, & sine gratia, solis naturæ viribus posse DEVM ab hominibus diligi super omnia, Doctores Pontificij non semel contenderunt?

XXXII.

Negant hoc Fabricius & Monachus à Daventria, scribentes: Calumniâ & mendacijs onerari Catholicos: Hoc enim dogma ab Ecclesia Romana semper fuisse damnatum.

XXXIII.

Bona verba quæso. Præstolamini obsecro paulisper, Est quod vobis dicam. Lusitanus quidam, Iacobus à Payva, vulgò Andradius dictus, Hyperaspistes ille Tridentini Concilii, vestram hanc negationem, vel gerris siculis vaniorem esse liquidò testatur, En vobis ipsius flosculos, & Emblemata.

I. In facultate hominum, eorum etiam, qui sola lege Naturæ utuntur, est positum, ad istam agnitionem DEI, quam ex Philosophia & lege Naturæ hauserunt, quæque ipsis ad salutem satis fuerat, adjungere cultum, pietatem, religionem erga DEVM, & DEVM, quem summum bonum esse intelligunt, totis animi viribus diligere.

I 1. Si naturæ impossibilia exegisse ab Ethnicis DEVS dicatur, diritatis atque immanitatis teterrimæ reus à nobis DEVS constituitur. Andr. in explic. Orthodoxa, pag. 292. 293.

XXXIV.

Audite porro ipsius Concilij Tridentini Canonem, nihilominus πελαγιαρίζοντα; qui sic habet: Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam coöperetur, & nulla ex parte necesse esse eum *Sue voluntatis motu preparari atque disponi*, Anathema sit. Sess. 6, Can. 9. & 13. Ianuar. 1547.

XXXV.

Refert D. August. de hæres. c. 88. Pelagium in tantum gratiæ divinæ fuisse inimicum, ut diceret, hominem posse omnia divina mandata facere, nulla instructum gratia, sed à solis naturæ viribus paratum. Hoc ipsum fatetur Andradius Pontificiorum Coryphæus, locis supra citatis.

XXXVI.

Idem Pelagius, à fratribus objurgatus, quod divinæ gratiæ nihil tribueret: fassus quidem est, Gratiam viribus nostris priorem esse; eam verò ad hoc duntaxat dari hominibus, ut quæ facere per vires proprias jubentur, facilius possint implere per gratiam. Vbi illud mansit ὀρθολογ, quod homo etiam sine gratia DEI, sed languidius ac difficilius, facere exactè possit, quæ cunque à DEO præcepta essent.

Hoc ipsum statuit ac defendit Concilium Tridentinum.

Consequens igitur fuerit, Pontificijs, quippe per omnia πελαγιαρίζοντα, ἄριστον istam Articuli nostri jure optimo opponi: ἄπειρ' ἔδα δ' ἔξοι.

XXXVII.

Quoad alterum Exceptionis Pontificiæ membrum, quo strenuè negant, se viribus humanis justificationis meritum adscribere: id verò jam abundè satis, ex ipsorum scriptis, est refutatū: ut vel tyronibus notum sit, Protestationem hanc contrariam esse facto.

XXXVIII.

Ex ~~scripturis~~ confirmare hoc ipsum placet, ex Catechismo Iesuitico, ubi sex isti constituuntur peccatorum nostrorum expiationis modi: 1. Pœnitentiæ Sacramentum, 2. Elemosynæ, 3. Condonatio offensæ, 4. Conversio errantis fratris, 5. Abundantia sinceræ charitatis, 6. Contriti cordis sacrificium. De Spiritu Sancto, de gratia DEI, de fide, de Christi merito, verbum nullum.

XXXIX.

Tertium Exceptionis Pontificiæ caput tripliciter diluimus: I. Sit sanè, non desint ex grege Pontificio, qui sine gratia neminem justificari posse statuunt. At interim & illud constat, hos ipsos gratiam illam, priorum meritorum ac Operum assumentis ita circumscribere, munire, & quasi involuere, ut nihil Gratia amplius maneat reliqui.

XL.

II. Erroris latibulum sub *omnium* vocis Proprii quaerunt, quam de ijs duntaxat operibus accipiunt, quæ quis sine gratia DEI adiutorio, solis naturæ viribus præstiterit: Quæ ratione proprijs operibus nos justificari negant. Quasi verò non illud etiam proprium dici queat, quod, licet respectu ortus principij sui ab alio dependeat, in nobis tamen habitualiter inhæret. Quo posteriore sensu, vocabulo (Proprii) accepto, Confessio nostra rectissimè Proprijs operibus vim omnem justificandi derogat.

XLI.

III. Ea est Spiritus Pontificij, in constituendis justificationis causis vertigo: ea varietas & inconstantia, ut ne hodiè quidem satis appareat, quamnam sententiam sibi vel tandem fecerint propriam.

XLII.

Tredecies enim ad minimum Statum Controversiæ subdole ipsos hætenus immutasse, vel inde liquidò patet, quod justificationem nostram adscribendam esse docuerunt:

1. Operibus duntaxat legis moralis, non ceremonialis.
2. Legi Naturæ quoad Patriarchas: Legi Mosis, quoad Israëlitas posteros: Legi Christi, sive Evangelio, quoad nos.

B

3. Fidei

3. Fidei formatæ, hoc est, fidei & Charitati simul,
4. Operibus, tanquàm causis 'ὡν ἄνευ ἑδ' ἐν.
5. Fidei & Pœnitentiæ.
6. Operibus, vim meriti non ex se quidem habentibus, sed ex misericordia D E I mutuantibus.
7. Fidei quoad impios ac nondum conversos: Operibus, quoad relapsos, qui justificati jam, in peccata prolapsi fuerint.
8. Operibus tanquàm causæ organicæ applicandi salutem, & justitiam,
9. Operibus, non quidem, quoad consequendam, sed tamen augendam justitiæ rationem.
10. Operibus, non quidem ratione justificationis, sed ratione salutis,
11. Fidei, quoad initium justificationis: Operibus, quoad ejusdem progressum.
12. Fidei, ratione justificationis primæ, qua salventur infantes: Operibus, respectu justificationis secundæ, quæ adultorum propria.
13. Iustitiæ nobis inhærenti, sive infuso habitui, constanti ex Spe, Fide, & cumprimis Charitate, Bellar. Tom. 1. pag. 1032. & 1059, Edit. anni 1593.

XLIII.

Verùm sufficient isthæc pro defensione ἄρσεως nostri Articuli: Iesuitarum nunc proprias hypotheses, quibus isti hoc in negotio vel maximè inmittuntur, paulò expendamus accuratius,

XLIV.

Eæ sic habent: Opera non quævis, sed Renatorum opera justificare: Item non proprijs, sed ijs operibus credentes coram D E O justificari & salvari, quæ in nobis Gratia D E I, & Spiritus Sanctus est operatus. Cens. Colon. p. 150. Concil. Trid. Sess. 6. cap. 10. & 11, Bellar. Tom. 3. p. 1205.

XLV.

Sed & his hypothesis Confessio nostra suam ἄρσιν sive Negativam opponit, firmissimis & prorsus ἀλύτοις nixæ rationibus.

1. Pri

XLVI.

I. Primum enim non ex parte, vel ex semisse, sed ex asse & toto, soli gratiæ divinæ sine ullo nostro merito, vel coöperatione, justificationis nostræ vim Scriptura disertè ascribit: Gratiis justificamur Rom. 3, 24. Gratiâ estis salvati. Eph. 2, 8. Vita æterna est $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\sigma\mu\alpha$ Donum DEI.

XLVII.

II. Eadem scriptura $\acute{\alpha}\rho\iota\sigma\tau\omega\varsigma$ indefinite & sine ulla exceptione, justificandi vim operibus derogat, & gratiam opponit, tam ijs operibus, quæ ex assistentia gratiæ divinæ sunt facta, quàm quæ ex virium humanarum facultate proficiscuntur. Rom. 4, 4. Eph. 2, 9. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 5.

XLVIII.

III. Iustificatio nostra tota vertitur in Remissione peccatorum. Psal. 32, 1. Rom. 4, 6. & 7. Nulla igitur à nobis Operum satisfactio exigitur: Siquidem alioqui non esset condonatio debiti. Id quod etiam patet ex parabola de patrefamiliâs, sine omni satisfactione, debitum illud grande, decem millium talentorum gratis servo remittente, Matth. 18.

XLIX.

IV. In omni merito propriè sic dicto, necesse est, ut oblatio sit libera, non necessaria, non præcepta, non quavis alia de causa debita. Atqui verò cum Renati etiam debeant omnia; locus utique nullus ipsorum meritis in justificando relinquatur.

L

V. Omnem abesse imperfectionem necesse est ab eo, quo quis aliquid mereri velit. At ea in renatorum etiam operibus non deprehenditur: Luc. 17, 10. Venia igitur illis potius roganda, quàm meriti opinio assuenda fuerit.

LI.

VI. Meritis cum præmio, proportio aliqua intercedat
B 2 necessarium

necessum est. At nulla renatorum operibus cum vita æterna intercedit proportio. E.

LII.

VII. Idem patet exemplo Abrahæ, quem non ex operibus ullo modo, sed duntaxat ex imputatione secundum gratiam per fidem justificatum fuisse, testatur Apostolus. Rom. 4. 2. & 3.

LIII.

Hinc Iesaias omnem suam justitiam esse instar panni menstruatae, ac coram DEO sordidam & immundam ingenuè profertur. Isai. 64, 6. Hinc Paulus, nihil quidem se sibi esse concitium, at in hoc minimè esse justificatum. 1. Cor. 4, 4. imò omnem justitiam, quæ non est ex fide Christi, σκύβαλα stercore esse, apertè testatur. Phil. 3, 8.

LIV.

Quin adeò omnem Renatorum operibus justificationis vim idem derogat Apostolus, ut, si hæc stare debeat, statim gratiæ DEI evacuatio: imò meriti Christi annihilatio consequatur. Gal. 2, 21. & cap. 5, 4.

LV.

Sed enim habent Iesuitæ rimas & κρησφύγετα varia, quibus ex istis immotis fundamentis nostræ negativæ, extricare sese posse, sed frustra, sperant: Quorum præcipua breviter delibabimus.

LVI.

Bonaventura olim, 1. 3. sent. dist. 19. Quæst. 1. novo distinctionis excogitato commento, statuit, Meritum nostrorum operum, habere in justificatione respectum causæ materialis: Formalis verò causæ locum obtinere Gratiam, quæ nihil sit aliud, quàm infusus Charitatis habitus.

LVII.

Rancidas istas & exoleras quisquilias postliminiò in Ecclesiam invehunt Iesuitæ, dum in dictis Apostolicis, quæ Gratiâ & gratis justificari nos asserunt, Vocabulum Gratia, de inhaerente nobis Qualitate, & infuso dilectionis habitu interpretantur, qui Spiritus Sancti donatione credentibus obtingit.

gerit, cuius vi ac merito postmodum fiat, ut renati iustificen-
centur.

LVIII.

Verum refutat elumbe hoc cavillum, primum ma-
nifesta æquipollentia & συνωνυμία vocabulorum & phrasium.
Nam quod Eph. 2, 8. dicitur: Gratia estis salvati: id Apосто-
lus statim hunc in modum, sed non sensu Iesuitico, explicat:
DEVS, qui dives est in misericordia, pro immensa charitate sua,
sic dilexit nos, & cum essemus peccatis mortui, cum Christo
nos vivificavit, ut ostenderet abundantes divitias gratiæ suæ, in
bonitate sua erga nos.

LIX.

Pari ratione, Tit. 3, 5. idem Apostolus, Gratiam hanc
DEI, vocat ἔλεος θεῶν, misericordiam DEI, & quidem no-
bis ante tempora secularia daram, 2. Timoth. 1, 9. Quæ sanè
nihil est aliud, quam gratuitus favor DEI, erga nos, quo
nos gratis, sine ullo nostro merito, per & propter Christum
filium suum, justos ac hæredes vitæ æternæ pronunciat.

LX.

Deinde idem σοφισμα evidenter refellit, illustris illa ἀν-
τιθέσις, qua Apostolus Gratiam hanc DEI, & opera quævis, si-
bi ἀντιφατικῶς & è diametro, in hoc negotio opposita esse con-
firmat: Si, inquit, ex gratia, jam non ex operibus: alioquin
gratia jam non est gratia: si ex operibus, jam non ex gratia:
alioquin opus jam non est opus. Rom. 11, 6. Atqui verò (si sub-
sumere liceat) Charitatis infusus habitus, ex sententia etiam
Iesuitarum, Operis rationem obtinet. Ergo, Oppositi gene-
ris (vi ἀντιθέσεως Paulinæ) Gratia nimirum, qua nos sal-
vari dicimur, significationem habere nullo modo potest.

LXI.

Verum ab hoc dejecti præsidio, in alio latibulo causæ suæ
receptum deligunt Romanenses, ut cum Origene contendant,
Legis Ceremonialis duntaxat opera, Moralis non item à justifi-
catione excludi.

LXII.

Et profectò, scripturam aliquoties in specie operibus legis Ceremonialis, justificandi vim omnem derogare, ipsi fate-
mur: uti patet ex controversia illa, quæ Apostolo Paulo cum
Petro intercessit Antiochiæ, Gal. 2, 11, & seqq: & ex assertione
Apostolica, qua Abrahamus, in specie, citra Circumcisionem
justificatus pronunciat. Rom. 4, 10. &c.

LXIII.

At verò scripturam hic pedem figere, ac Moralis legis
operibus tribuere id, quod Ceremonialibus derogat: id verò est
λίαν μέγα ἄιτημα, & disputationibus Paulinis, imò universæ
scripturæ è diametro repugnat.

LXIV.

1. Apostolus enim asserens, in conspectu DEI ex operibus
Legis nullam carnem justificari: Rom. 3, 20. primùm ἀόριστος
indefinitè legem excludit. Ergo legem omnem intelligit; &
quidem Moralem vel maximè: Siquidem hunc suum Aphorismum
colligit, ex enumeratione talium peccatorum, quæ in le-
gem Moralem directè feruntur.

LXV.

2. Deinde de ea lege loquitur definitè, ex qua est peccati
agnitio. Quam sanè proprietatem Ceremonialis legis esse pro-
priam, ne ipsi quidem concesserint Pontificij, nisi fortè Apostolo
in os velint contradicere, qui de lege Morali hoc accipiendum
esse, luculenter ostendit, Rom 7, 7. Peccatum inquam non cog-
novi, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non novissem,
nisi lex dixisset: Non concupisces.

LXVI.

Id quod ipse quoque animadvertit Augustinus: Legem,
inquiens, ex qua Apostolus neminem dicit justificari, non tana-
tum in sacramentis illis, quæ habuerunt promissivas figuras, ve-
rùm etiam in illis operibus vult intelligi, quæ quisquis fecerit
justè, vivit; ubi est illud; Non concupisces.

LXVII.

3. Tum invertimus opinionem Pontificiam in hunc mo-
dum: Ceremoniæ non justificant; Ergo, nulla pars legis. Ratio
confe-

consecutionis stat immota: Quia, si operibus aliqua accepta est ferenda iustitia: ratio profectò dari potest nulla, cuius respectu Ceremoniæ hoc sine spoliari debeant: Siquidem eæ tertio Decalogi præcepto mandatae, primaria divini cultus pars erant & opera longè præstantissima.

LXVIII.

Sed habent Iesuitæ adhuc & aliud latibulum, sub quo causæ suæ patrocinium quærunt, nempe in distinctione illa inter justificationem primam & secundam: quarum hæc, adultorum propria, fidè & operibus perficiatur: Illa infantes spectet, & sola constet fide.

LXIX.

Atqui verò vix ullum absurdius commentum, hominum memoriâ fuit inventum: 1. Est enim illud prorsus ἀγραφοῦ, nempe unico quidem S. literarum testimonio confirmatum. 2. Scripturis è diametro adversum & repugnans, Testatur enim ea, iustitiam DEI per fidem Iesu Christi revelari in omnes & super omnes quæ credunt: hoc insuper adjecto Epiphonemate, ὅτι ἐστὶ διασολῆς Rom. 3. 22.

LXX.

Quò pertinet & illud, quòd ibidem in DEVM ulla cadere προσωποληψία negatur, propterea quòd, quemadmodum inter homines nulla prorsus est διασολῆ, ita hanc ipsam ob causam locus τῆ προσωποληψίας in DEO esse non possit. Vnde rectissimè interimus. Vbi omnes homines undequaque sunt simillimi, ibi materiæ & discepantiæ nihil relinquitur, quòd in respectum aliquem apud DEVM venire queat: sed pari gradu omnes ad Christum venire, & salutem æquali modo, unâ numero justificatione consequi necessum est. At prius ex assertione Apostolica verum, Ratum igitur est & posterius.

LXXI.

Hinc unitatis termino comprehendit Apostolus, quicquid de salutis nostræ negocio dici potest: Vnus, inquit, Spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, VNA fides,

Ades, unum baptisma, unus **DEVS** & pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis, Eph. 4, 415. & 6.

LXXII.

Verum tribus istis præcipuis Cohortis Pontificiæ castellis in hunc modum expugnatis: (Nam de dictis scripturæ, quæ ipsi, ad suam ipsorum perniciem detorquent, in ipso disputationis actu videbimus): proximum est, ut Confessionis nostræ Methodum secuti, Orthodoxam doctrinam, ac veras Iustificationis causas aperiamus, & S. literarum oraculis confirmemus.

PARS II. ΕΤΙΚΗ, VERAM IUSTIFICATIONIS doctrinam exponens.

LXXIII.

Eam autem Articulus hic noster, breviter quidem, ac sufficienter his verbis comprehendit: *Docent Ecclesiæ nostræ, quod iustificentur homines gratis propter Christum, per fidem, cum credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti, propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit, Hanc sibi imputat DEVS pro iusticia coram ipso. Rom. 3. & 4.*

LXXIV.

Filius & plenius hoc ipsum explicat Articulus vicelimus, eo planè sensu, quem nunc expediemus,

LXXV.

Cens. Col. pag. 140. Est verò prius attendenda insignis Romanensium Sophistica, qua, non usum scripturæ Canonicum; sed Grammaticæ ductum, in re maximè sacra secuti, *Iustificandi* verbo, eum affingunt sensum, ut significet, infuso habitu, ex injusto iustum facere.

LXXVI.

Vnde bella illa definitio est nata, quod iustificatio sit motus mentis, quo moveatur à DEO, à statu peccati, in statum iustitiæ. Thom. part. 2. quæst. 113, art. 5. *Cens. Colon. pag. 140. & 141.* 77. Stoli-

LXXVII.

Stolidum hoc figmentum scriptura prorsus explodit, quæ nullibi hanc significationem verbi justificandi admittit, si vel uniuersa testimonia, quæ verbi hujus notationem habent, in succum ac sanguinem conuerteris: Sed forensis eius significationem passim innuit: Vnde etiam de judicijs, causis atq: actionibus forensibus disertè vox ista usurpatur 2. Sam. 15, 4. Ps. 82, 3. Deut. 25, 1. &c.

LXXVIII.

Pater hoc inde etiam, quod justificationis & condemnationis vocabula sibi invicem in scripturis familiariter opponuntur: ut prov. 17, 15. Rom. 8, 33. Ergo quemadmodum hoc, sic & illud forensis significationis vim habeat, necesse est.

LXXIX.

Neque etiam justificandi vocem in hac controversia, accipimus pro declaratione justitiæ coram hominibus, quam per bona opera fieri, cum Apostolo Iacobo haud illibenter fatemur Iacob. 2.

LXXX.

Sed forensi, uti diximus significatione scriptura verbo hoc usa, justificari, nihil docet esse aliud, quàm ad thronum gratiæ DEI confugientes absolvi à reatu peccati, & damnatione, justumq: reputari, imputatione justitiæ Christi, quæ in ipsius obedientia, tam activâ, quàm passivâ consistit, Ioh. 9, 2, & 3. Psal. 143, 2. Luc. 18, 14. Rom. 3, 24. & 8, 33.

LXXXI.

Hujus justificationis doctrinam, non, uti Thammerus somniavit, nobiscum nasci, ac mente & ratione humana investigari posse: Sed ex sola revelatione Evangelij, petendam esse statuimus, quod propterea definitur mysterium, æternis temporibus tacitum: nunc verò patefactum, & per scripturas propheticas secundum ordinationem æterni DEI, in obedientiam fidei, omnibus gentibus declaratum. Rom. 16, 25 & 26.

LXXXII.

Hujus nos præscriptum secuti, rotam doctrinæ hujus diexodon, Causarum complexu, nimirum Efficientis: Impellentis, Instrumentalis, Formalis & Finalis, commodissimè absolvi posse, habemus persuasissimum.

C

83. Ac

LXXXIII.

Causa efficiens summa.

Ac efficiens quidem prima ac summa Iustificationis causa, sive αιτιον κρηιον, est DEVS, sive tota sacrosancta ac indivisa Trinitas, operi tanto autor longè convenientissimus. Exod. 34, 7. Ies. 43, 25. Rom. 8, 33.

LXXXIV.

Decebat enim, ut cujus fuerat η πλαστο υγι η κτισιο, ejusdem etiam esset αναπλαστο η ανακτισιο, ut Iustinus Martyr & Philosophus pie admonet.

LXXXV.

Hinc Effectus ipse, ab autore suo denominatus, IVSTITIA DEI dicitur, quam ex fide in fidem sine lege revelari dicit Apostolus, Rom. 1, 17. &c. 3, 21.

LXXXVI.

Est autem hæc justitia DEI non accipienda de justitia legis, aut judicij: cujus proprium est, non condonare sed observare iniquitates, Psal. 130, 3. & 143, 2.

LXXXVII.

Neque etiam ea est justitia DEI hic intelligenda, qua ex Essentia suâ, in sese DEVS justus est, imò ipsissima justitia, cujus in habitatione hominem justificet: quemadmodum impie nugatus fuit Andreas Osiander.

LXXXVIII.

Verùm de clementia & paterna beneficentia, in hoc articulo justitia DEI accipienda est, qua DEVS propter Christum remissis peccatis, credentes in eum pro justis acceptat. Quæ justitiæ imputatio cum solius DEI opus sit, ideò DEI etiam justitia ab Apostolo appellatur.

LXXXIX.

2. προκυμαίνω impellens causa.

Impulit autem DEVM ad miserendum nostri, non ulla aliqua nostra prævisa dignitas, opus, aut meritum: Sed unicè, ineffabilis Gratia, sive paternus misericordiæ divinæ favor, atque immensus amor DEI, Quæ Gratia DEI, secunda justificationis causa, προκυμαίνω movens sive impellens rectissimè dicitur.

XC.

Gratiæ autem vocabulum Pontificios de qualitatibus in hæren.

hærentibus, ac infuso charitatis habitu, improbè & vitiosè acci-
pere, supra prolixè ostendimus, thes. 57. & seqq.

XCI.

Illud duntaxat hic notandum, Gratiam hanc datam no-
bis esse ante tempora æterna, ac priusquam nos essemus, Eph. 1,
4. ut de habitibus in tempore infusis illam velle interpretari,
prorsus sit cum ratione insanire.

XCII.

Causæ hujus respectu, Confessio nostra, GRATIS nos
justificari affirmat: Apostolicam imitata locutionem. Rom. 3,
24. justificamur Gratis, hoc est, ipso Apostolo interprete, Gratia
DEI Eph. 2, 8.

XCIII.

Instrumentalem sive Organicam justificationis causam
duplicem. Sacræ constituunt literæ: Vnam respectu DEI justifi-
cantis: alteram respectu hominis justificandi.

XCIV.

Respectu DEI est Filius DEI, Dominus noster Iesus Chri-
stus, quem DEVS posuit propitiatorium per fidem in sanguine
ejus: Rom. 3, 25. Qui etiam factus est ἱλασμοσ propitiatio pro
peccatis totius mundi, 1. Ioh. 2, 2.

XCV.

Hic ergo Mediator DEI & hominum factus, 1. Tim. 2.
5. liberavit nos ab omnibus inimicis nostris, & è manu eorum
qui oderunt nos. Luc. 1. 71. & 74. à maledictione legis, Gal. 4,
5. ab eo, qui mortis habebat imperium, Diabolo scilicet. Heb. 2,
15: Et acquisivit nobis plenariam ἀπολύτρωσιν in sanguine suo.
Rom. 3, 24 & 25.

XCVI.

Constat autem nostra hæc ἀπολύτρωσις, non passiva dun-
taxat obedientia Christi, quæ passione & sanguinis effusione fuit
expedita: Sed & Activa illa, qua secundum omnes legis partes
perfectissima DEO præstita, Christus non pariendo duntaxat:
sed faciendo etiam, ut loquuntur, Redemptionem nostram con-
summavit.

XCVII.

Confirmat hoc scriptura Rom. 5, 19. Sicut iniquus,
per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuerunt
multi:

multi: Ita per obedientiam unius, iusti constituentur multi: Vbi ipsa ἀντιθέσις ratio evincit, de obedientia activâ, Legi præstitâ, differere Apostolum: id quod idem Paulus clariùs ostendit, Gal 4, 4. inquit: Postquam venit plenitudo temporis, emisit DEVS filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Vnde Christus perfectio legis, vel ejusdem finis dicitur, ad justificationem omni credenti: Rom. 10, 4.

XCVIII.

Tribuit verò scriptura Mediationis officium toti Christi personæ; ac proindè naturam utramque in eo perficiendo egisse, cum communicatione alterius, quod cujusque est proprium, firmiter comprobat.

XCIX.

Faceſſat ergò furor Stancari, Mediationis officium, Christo duntaxat ex parte humanitatis adſcribentis: Dicebat enim: Sacerdos & Sacrificium est Homo-Christus, non DEVS Christus, hoc est, Christus secundum hominem, non secundum DEVM. Item, Vox Mediator primò capitur, pro humanitate Christi, exequente officium Mediatoris. Secundò verò, pro persona ipsius Christi, qui est DEVS & homo: Stanc. in lib. de off. Med. Et in Apol. contra Oſiand.

C.

Cui vicinus est error Magistri ſententiarum: & Iesuitæ Bellarmini: quorum ille lib. 3. Sent. diſt. 19. lit. E. Hic verò, Tom. 1. Contr. pag. 561. & 562. toti quidem personæ tribuit justificationem, ſed eo ſenſu, quaſi Principium quidem, quod operatur actionem iſtam, non ſit DEVS ſolum vel Homo ſolum: Sed utrumque ſimul: *Humana autem in Chriſto natura duntaxat ſit principium, quo, ceu organo, justificationem Chriſtus operetur.*

CI.

Frivola hæc eſt, & blaſphema ſubtilitas, Stancari impietatem plenis velis in Eccleſiam revocans: Nos contra ſcripturarum edocti oraculis, firmiter ſtatuímus, opus Mediationis reverà eſſe διαποſιτινὴν ἐνέγγραπτον, uti veteres locuti ſunt, in qua
con-

concurrunt Deitatis & humanitatis actiones, distinctæ quidem illæ, sed ad unum atque idem ἀποτέλεσμα producendum planè necessariae.

CII.

Neque verò ita concurrunt diversimodè, ut Divina quidem ἐνεργητικῶς, humana autem natura ὁργανικῶς sese tantum in hoc apotelesmate habeat: Sed Efficienter utraque: Illa quidem, ex proprietate naturæ: hæc autem, ex beneficio Unionis hypostaticæ & ex gratia.

CIII.

Hinc non in abstracto alterius naturæ, sed in Concreto Servator dicit: Ego pono animam meam, Ioh. 10, 17. Et Apostolus affirmat, DEVM nos sibi reconciliasse per Christum, 2. Cor. 5, 18. Et Christum reconciliasse omnia, pacificando per sanguinem suum, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, Col. 1, 20.

CIV.

Est verò hoc loco & illa fugienda Romanensium blasphemiam, qua Christum nos à culpâ quidem: sed non itidem, à pœna liberasse garrunt: quæ nobis ipsis, vel bonis operibus in hac vita, vel diris cruciatibus in igni purgatorio sit luenda atque expianda.

CV.

Abhorret ab hac impia sententia, scriptura sacra, Ies. 53, 5. Castigatio pacis super eum, & livore ejus sanati sumus. Gal. 3, 13. Christus nos redemit à maledictione legis, dum pro nobis factus est maledictum. Vbi Castigationis & maledictionis legalis termino, pœnas, legis divinæ transgressoribus debitas, notari, vix quisquam adeò rudis est, qui non videat.

CVI.

Porrò pœna peccati est Dominium Satanæ: At ab hac liberavit nos Christus, Heb. 2, 15. Pœna peccati est mors & Infernus: At ab iisdem nos redemit Christus. Hoseæ 13, 14. 1. Cor. 15, 55. & 56, 57. Pœna peccati est æterna damnatio. At ab eadem nos liberos præstitit Christus, Rom. 5, 9. 1. Thess. 1, 10. Ergò non

non à culpa duntaxat, sed à pœna quoque Christum nos liberasse, fuerit consequens.

CVII.

Et sanè, qui pœnæ propriè sic dictæ locus esse queat, ubi culpa omnis desijt: Pœna enim non nisi culpæ est pœna. Expirante ergo culpa, expirat effectus.

CVIII.

Neque enim Afflictiones illæ, quibus pij etiam & renati à DEO exercentur, vel pœnæ propriè sic dictæ rationem habent: quippè immissæ non ab irato DEO: Vel satisfactionis ullius respectum obtinent: Solus enim Christus est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Ioh. 2, 3. Sed ob alios fines salutares immittuntur: de quibus infra in loco de Pœnitentia & satisfactione expresso erit agendum.

CIX.

Causa organica justificationis respectu nostri.

Altera causa Instrumentalis sive organica justificationis consideratur respectu nostri, quæ est FIDES: non quævis, sed fides Iesu Christi, non quâ Christus & Christo creditur: Hoc enim præstat etiam fides historica; quæ impijs quoque & incredulis competit: Sed quâ in Christum creditur, Rom. 3, 22. Gal. 2, 16. Act. 13, 39. Phil. 3, 9. Ioh. 3, 16. &c:

CX.

Est autem credere in Christum nihil aliud, quàm plenâ animi fiduciâ recumbere in promissionibus Evangelicis de gratuita peccatorum remissione, & ex his, propter meritum & redemptionem à Christo peractam, gratiam DEI, salutem ac vitam æternam indubitato sibi polliceri.

CXI.

Potest hinc de objecto pariter & subjecto fidei justificantis fieri iudicium.

CXII.

Et objectum quidem ejus varium ac multiplex constituit Epistola ad Hebræos capite II, integro: Verum eorum omnium respectu fides justificare, dici nec potest, nec debet.

Sed

CXIII.

Sed est unicum ac idem semper objectum, cuius respectu salutare dicitur: nempe sola misericordiae divinae, de gratuita per & propter Christum remissione peccatorum, promissio.

CXIV.

Quod objectum dum fides, non quidem frigida cogitatione, non generali notitia, non superficiali assensu, non imaginaria persuasione: Sed plenam animi fiducia apprehendit: Iustificare dicitur Gal. 3, 14. Hebr. 9, 15.

CXV.

Subiectum igitur Fidei non est Mens duntaxat sive intellectus hominis, qui circa notitiam versatur: Sed Cor quoque ac Voluntas, respectu assensus firmi, ac fiduciae indubitatae de gratuita peccatorum remissione: Quae quasi anima fidei salviae, vocabulis valde significantibus, ut *πιστις* & *πίστις* *πίστεως*. Eph. 3, 12. Hebr. 3, 6. *πληροφορία*. Rom. 4, 21. *ὑποσάφει*. Heb. 11, 1. in scripturis describitur.

CXVI.

Est verò Fides isthaec, non causa Formalis Iustificationis nostrae, ut aliqui autumant: Sic enim habitu interno, & inherente qualitate iustitia nostra constaret: Sed est *ἄτιμον ἀποδεχόμενον*, sive manus illa Spiritualis, qua iustitia Christi apprehenditur.

CXVII.

Iustificamur ergo fide, non quasi tanta virtutis illius in se sit dignitas: ut Gnostici olim docuisse leguntur: neque etiam quatenus ea Spiritum renovationis accipit: aut, quâ per Charitatem est efficax: Sed duntaxat *ὀργανικῶς*, quatenus promissionem gratiae SOLA FIDES apprehendit.

CXVIII.

Cæterum turbas nostro hoc seculo haud exiguas peperit, particulæ hujus Exclufivæ (SOLA) usurpatio: quæ etsi *ἀπολεξι* sive secundum literam in scripturis non expressa reperitur: Sensus tamen ejus, qui verè cuiusque scripturae dicitur anima, vel maximè est *ἔγγραφον*.

119. Idem

CXIX.

Idem enim sibi volunt æquipollentia, παράγωγα καὶ ἰσοδύναμα vocabula: ut Gratia, Gratis, Rom. 3, 24. Eph. 2, 8. χάρισμα & δῶρον vita æterna: Rom. 6, 23. Eph. 2, 8.

CXX.

Et Exclusivæ illæ, χωρὶς νόμου, Rom. 3, 21. ἢ ἐξ ἡμῶν, non ex nobis: Eph. 2, 8. Et cum primis, illa prorsus ἰσοδύναμα, Gal. 2, 16. Iustificatur homo, non nisi per fidem Christi: id quod nihil est aliud, quàm sola fide iustificatur homo.

CXXI.

Et quid multis opus est, cùm ipse servator, Exclusivæ hujus usum nobis commonstret: dicens ad Præfectum Synagogæ, Luc. 8, 50. μόνον πιστεύε, solum crede.

CXXII.

Et profectò ad illustrandam gloriam DEI: ad constituendam conscientiarum tranquillitatem: ad fidei serenitatem conservandam: ad legis & Evangelij discrimen obtinendum: ad omnes Papatus tenebras & sordes expurgandas, ad eò præclare servit, Exclusiva isthæc: ut, salva Religione Christiana, jacturam ejus facere in Ecclesia non possimus.

CXXIII.

Cæterùm usus Exclusivæ istius est, 1. Vt Opera sive merita hominum, ab omni causarum ordine, quæ in iustificando peccatore concurrunt, excludat: non quidem absolutè, sed relatè, hoc est, non, ut omninò non sint bona opera: Sed solummodò ne iustificent, & causas justificationis nostræ ullo modo ingrediantur.

CXXIV.

Neque enim talem statuimus gratuitam justificationem, quæ liberam omnium facinorum libidinem permittat, ac scelerum impunitati frena laxet. Qualis furor fuit Basilidis, Aëtij, Eunomij & similium.

CXXV.

Et Fidem iustificantem, nunquam à spirituali renovatione sejungimus: Eadem enim gratia facit, ut & credamus in Christum: & cum credere cepimus, ex fide etiam benè operemur:

mur : sic, ut Opera D E O placentia, & vere bona, justificandum non præcedant, sed sequantur justificatum.

CXXVI.

Alter usus Exclusionis (*sola*) est, ut Ordinem causarum justificationis nostræ tantò dilucidius explicet. Excludit enim reliquas causas, non nisi respectu causæ Organicæ : ut sola dicatur fides justificare, quia hæc sola justiciam Christi, in Evangelio oblatam apprehendit.

CXXVII.

Nihil igitur prohibet, quo minus eandem Exclusionem reliquis etiam causis, sed in gradu causarum dispari, accommodemus : & rectè dicamus : Solus D E V S justificat, respectu causæ Efficientis : Item : Solus Christus justificat, respectu causæ meritoriae, & Organicæ quoad D E V M.

CXXVIII.

Formalem justificationis causam Articulus noster accuratissimè describit, dicens propter Christum per fidem, *homines in gratiam recipi, & ipsa peccata remitti.*

CXXIX.

Constat igitur Forma justiciæ nostræ, partim ἀφαιρέσις, nempe remissione & ablatione ejus, quod re ipsa inest : partim δόξα, videlicet donatione sive imputatione innocentiae & justiciæ Christi, non essentialis quidem illius, atque æternæ : Sed quam ille sua obedientia acquisivit.

CXXX.

Elegans inde analogia deprehenditur intercedere Reatui illi, quem Christus pro nobis sustinuit, factus pro nobis maledictum, Gal. 3, 13. & justiciæ, qua nos ex ipso fruimur.

CXXXI.

Quemadmodum enim Christus nobis factus est peccator, non in hærente qualitate : Sed sola imputatione, qua D E V S in ipso convenire fecit omnium nostrum peccata : Ies. 53, 6. & eum qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit. 2. Cor. 5, 21. Ita credentes in Christum justi efficimur, ut peccata, quamvis
D intimè

intimè adhæreant nobis: non tamen adjudicentur: Iustitia, quamvis minimè insit, ex Christo tamen imputetur.

CXXXII.

Utramque hanc formalis causæ partem, uno Imputationis vocabulo, scriptura exprimit. Vnde justificatio nostra, ad formam hanc respiciendo, Imputativa appellatur. Rom. 4, 5.

CXXXIII.

Neque verò imaginarius est ac vanus λογισμὸς imputatio isthæc: aut glacie quavis frigidius, vel à divini iudicii veritate alienum, quod de imputata iustitiâ ex scripturis affirmari solet: Quemadmodum Pontificij cavillantur, imprimis Colonenses in censura sua, pag. 154, & 155.

CXXXIV.

Primum enim λογισμὸς iste Imputationis, non est humani animi imaginatio, quæ frivola esse potest: Sed sedem ac fundamentum habet in mente ac voluntate divina, quæ est summum rerum omnium principium.

CXXXV.

Deinde respectum habet sive χέρον ad satisfactionem & obedientiam Christi Mediatoris, qua iustitiæ DEI undiquaque est satisfactum.

CXXXVI.

Præterea nec ullus alius dari potest iustitiæ modus, qui in hominibus justificandis locum obrinere queat.

CXXXVII.

Quàm frivolum enim sit commentum, Synodi Tridentinæ de Forma iustitiæ, quæ in qualitate infusa, & habitu charitatis inhærente consistat, supra fuit ostensum.

CXXXVIII.

Habet autem hæc forma justificationis adversus inhabitantis peccati luem, & quotidiana, etiam sanctissimorum quorumvis delicta, firmissimam consolationis materiam: quia nondum inhærens nec infusa, sed imputata duntaxat esse iustitiæ nostræ, qua DEO placeamus, dicitur.

CXXXIX.

Finalis causa justificationis nostræ, respectu DEI, teste scripturæ.

Scriptura est εν δ' εβ' is δικαιοσύνης ημεν ελθε αυτη, ostensio justitiae & 5. Finalis
misericordiae ipsius. causa.

CXL.

Elucet enim admirabile planè & stupendum in opere justifi-
cationis nostrae, justitiae & misericordiae divinae temperamen-
tum: Iustitiae quidem, quod peccata remitti, fuit impossibile,
nisi exoluta pœnâ: Misericordiae verò, quod cum nemo vel An-
gelorum vel hominum, pœnæ illi sufferendae par esse posset, no-
strae miseriae ipse misertus, Filium suum unigenitum nostras vi-
ces supplere voluit.

CXLI.

Respectu nostri finis nostrae justificationis, est ut essemus
Sancti & irreprehensibiles coram illo: & justificati in sanguine
Christi salvemur ab ira per ipsum. Eph. 1, 4. Rom. 5, 9.

FINIS.



1/1935 a

ULB Halle 3
001 541 250



5b







10

DISPUTATIO XI.
DE IVSTIFICATIONE
HOMINIS PECCATORIS
coram Deo.

*Ex quarto ac vicesimo Confessionis Augu-
stanae, Articulis,*

ad cujus subjectas theses

Auxiliante Christo Servatore,

Sub prasidio

LEONHARTI HVTTERIS, Theolo-
giae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

CHRISTOPHORUS HOSERUS
Augustanus,

Ad diem II. Februarij, hora locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno cl^o l^o XCVIII.

